



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 16. An Confessio necessariò fieri debet voce?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



ad probandum valorem Confessionis venialium.

*Not.* Confessor dubitans an ea, quæ Pœnitens confitetur, sint peccata etiam venialia, non potest eum absolvere; quia non licet applicare formam materiæ dubiæ, alioqui exponeretur Sacramentum periculo nullitatis: sola autem peccata sunt materia remota Pœnitentiæ: quare ut detur materia certa, curare debet ut Pœnitens confiteatur peccatum certum jam alias remissum; & illud in Contritione includat.

*Q. 16. An Confessio necessario fieri debet voce?*

*Resp. I.* Id non est de essentia Sacramenti, sed Confessio potest validè fieri, nutibus, gestibus, vel scripto, si desit facultas loquendi. Constat 1. ex præxi Ecclesiæ, quæ mutos, & moribundos vocis usu destitutos per nutus, vel alia signa confitentes absolvit: & ex Rituali Romano docente moribundum vocis usu destitutum absolvendum esse. 2. Quia Christus solum præcepit Confessionem, quâ peccata declarentur Sacerdoti ut judici: quod sufficienter fieri potest per nutus, vel Scripturam.

*Resp. II.* Non licet absque necessitate aliter quàm voce confiteri. Constat 1. ex communi TT. consensu. 2. Ex consuetudine Ecclesiæ vim legis obtinente, & obligante graviter, utpotè de re spectante ad convenientem



tem modum perficiendi Sacramentum: nam verba sunt aliis signis longè aptiora ad significandum, & ex S. August. tenent in significando principatum. 3. Ex Florent. requirente Confessionem oris, & ex Benedicto XI. in Extrav. *Inter cunctas* de Privil. ibi: *nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris Confessio exigitur.* Et verò alia signa non sunt inducta, nisi in supplementum verborum vocalium.

*Resp. III.* Qui voce non potest, tenetur aliis signis, etiam scripto, confiteri, etiam extra mortis periculum. Quia præceptum confitendi, obligat saltem, cum sine gravi damno Confessioni extrinseco observari potest. At hic modus confitendi nullum damnum saltem grave affert. Neque Scriptura est per se instrumentum publicationi obnoxium, & potest statim comburi vel lacerari.

*Q. 17.* *An excusatur à Confessione, qui confiteri nequit nisi per interpretem?*

*Not.* Ex Trid. sess. 14. c. 5. neque est necessarium jure divino, ut Confessio publicè fiat, sed valet Confessio secreta & auricularis; neque à Christo prohibitus modus publicè confitendi. Unde ex communi valet Confessio sive secreto, sive publicè fiat; nam ad valorem Sacramenti solum requiritur accusatio peccatorum facta Sacerdoti ut judici: hæc autem potest esse utroque hoc modo.

*Resp.*